



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DXCVII. Sancti Patris Benedicti. M.C.XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

munificus, de cujus ingenij monumen-  
dis consulendus. *Ferreolus Loctius &c.*  
Florentissimum fama nomen Joan-  
nis Dorothei nostri Monachi & Prio-  
ris S. MARIÆ Vallensis, sive de Val-  
le Congregationis Cluniacensis, U. J.  
D. & in Universitate Burgundiæ Mi-  
noris Dolensi Professoris Primarij, qui  
ob eximiam virtutem & eruditionem  
factus Episcopus Nicopolitanus, & suf-  
fraganeus Archiepiscopi Bisuntini, ex-  
in Eminentissimi & Illustrissimi S. R.  
E. Cardinalis Granvellani, mox etiam  
Cardinalis Lotharingi Vicarius, ubi-  
vis se & magna vitæ integritate, &  
omni consiliorum & operum dexte-  
ritate mirificè commendans. *Arnol-  
dus Duacenus &c.*

Joan. Do-  
rotheus  
Prior Val-  
lensis Episc.  
Nicopol.

Christo-  
phorus Ca-  
stelleus.

Inter Illustres sui temporis viros  
merito numerandus. Christophorus  
Castelleus, extinguitur hoc anno, cum  
aulas Cæsaris ac Regum triginta an-  
nos, totidem & paulo plures Christo  
Regum Regi utrobique fideliter, huic  
multo felicius & utilius, quam illis ser-  
vivisset. Caterum etsi delictum olim  
Aulæ esset, nihil tamen inde quàm lau-  
des & inania promissa retulisse falsus,  
ubi primum delicias atriorum Domi-  
ni expertus est, Religiosorum sacra-  
solacia omnibus mundi præstare deli-  
cijijs serio affirmavit, & verè agnovit,  
quàm antea vana multa meditatus &  
in lucem proferens, tam plena deinceps  
coelestium rerum præguitus scrip-  
sit, & multa cum utilitate posteris com-  
municavit, sacra & profana ingenij  
monimenta celebrantur sequentia:

Magni in-  
genij mo-  
nimenta.

- Amatoriorum Operum quæ in saeculo vul-  
gavit. . . . . Liber I.*
- Epistolarum ad diversos. . . . . Liber I.*
- Historia Pyrami & Thisbes Hispanico car-  
mine. . . . . Liber I.*
- De Amoris profani passionibus & affecti-  
bus. . . . . Liber I.*
- Poliphemi Soliloquium.*
- Joco-Seria, sive rerum facetarum. Lib. I.*
- De lingua Hispanica affluentia & præstan-  
tia. . . . . Liber I.*
- Fabula Aëtaonis ex Ovidio, & in hanc  
Commentaria. . . . . Liber I.*
- De infelicitatibus quæ supervenerunt anno  
Domini 1540. . . . . Liber I.*
- Transfiguratio cujusdam Camabri. Lib. I.*
- Laudes Civitatis Viennensis in Austria.  
Liber I.*
- De moribus, conditionibus, & natura fe-  
minarum Dialogus.*

- Dialogus inter Calamum & Auctorem.*
- Contra varietatem & instabilitatem Que-  
rimonia. . . . . Liber I.*
- Lexamen afflictionum seu dolorum Lib. I.*
- Dialogus inter oblivionem & memoriam.*
- De Aulicorum infelicitate, miserijs & a-  
rumnis. . . . . Liber I.*
- Dialogus inter Fabricium & Prudentium.*
- De Principum moribus, religione, pruden-  
tia & Virtutibus.*
- De Aulica prudentia & civilitate.*
- Colloquium inter fidelitatem & adulationem.*
- De Interventione Sanctissime Crucis Dominicæ.*
- De Beatissime Virginis Visitatione, Salu-  
tatione & Purificatione.*

Quæ simul cum supra scriptis ex-  
cusa sunt plus quam decies, etiam ex-  
tra Hispanias.

IESU CHRISTI ANNU S. M. DCCVII.  
Sancti Patris Benedicti. M. C. XVII.

**T**RISTISSIMUS hic annus Ecclesiæ  
Christianæ, amplissimo Gallia-  
rum Regno, & Regum maximo Hen-  
rico IV. occasu syderis longè illustris-  
simo Gilberti Genebrardi Aquensis Ar-  
chiepiscopi, Hæresum profligatoris a-  
cerrimi, Consiliarij Regis & Regni sa-  
pientiâ inexhausti, fidelitate præcipui,  
incomparabilis dexteritate, de quo ca-  
su Rex plurimum consternatus, & qua-  
stus summo opere, prius sibi & Regno  
ablatum, quàm pro dignitate evehe-  
re, & honorare potuisset, gratumque  
ipsi animum contestari. De quo sic  
Claudius Robertus in Gallia sua Chri-  
stiana, breviter, sed Emphaticè: *Objet*  
*1597 16. February, ut habet inscriptio mo-  
numenti in B. MARIÆ Semurienfis Prio-  
ratu, quem vivens religiosissime admini-  
straverat, de quo Prioratu nos infra in Epi-  
scopis Lingonensibus numero 49. At de  
Genebrardo Possévinus in apparatu sacro.  
Wion in Ligno vite, & plures plura, sed  
nunquam satis, ubi materia superat opus.  
inter quos Franciscus de Sales Episcopus Ge-  
nevensis libro II. de Amore Dei cap. II. cui  
Genebrardo mortuo, immortuo, are alie-  
no jam olim parentavimus:*

Gilbertus  
Genebrardus mori-  
tur.

*Abstulit una dies ævi Decus, idæque luctu  
Conticuit sacra tristis facundia lingua.*

Insigne  
Elogium.

*Nec immeritò, præclarum Ecclesiæ lit-  
terarumque Sydus ab Opere nuncupatur.  
Vide R. P. Hilarionis de Coste Elogia Il-  
lustrium Gallia virorum. Et ad margi-  
nem, idem Robertus: Genebrard dece-  
dè au grand regret de toute la Chrestienté  
pour*

*pour sa profonde Theologie, & sçavoir universel, Cesar de Nostre-Dame en son histoire de Provence & Sponde. Epitaphium ipsum mihi exscriptum, & inde missum alium diem mortis indicat. Ita spectatur Semuri Mandubrorum in Prioratu B. M. V. Ordinis S. P. N. BENEDICTI, ubi sepeliri inter Fratres suos elegit, in medio chori ejusdem Ecclesie tumulatus, cum hac inscriptione.*

*Epitaphium ejusdem.*

*Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis*

*Prior hujus Canobij. Obijt 13. Martij CIO. D. XCVII. aetatis 63.*

*In medio ejusdem monumenti intra figuram ovalem insculptus legitur hic versus:*

*Vna capit cineres, nomen non orbe tenetur.*

Subter insignia Archiepiscopali genere tecta, in capite tres stellæ acuminatæ, cum phœnice flammis insidente. Appensa item 4. chori proximis sepulchro columnis totidem funebria lemmata, è quibus primum Hebraicum penè exesum. 2dū. Gallicum planè oblitteratum. Tertium, quod apponimus :

D. O. M.

*Aliud ejusdem postum ibidem.*

*Gilberto Genebrardo Ord. S. BENEDICTI Religioso, Alvernia oriundo, doctrina, usu veroque conspicuo, cum juvenis per doctrinam Sorbonicus Doctor ampliss. honor: in Theologia: per usum ex doctrina Divinarum Hebræarumque litterarum Regius Professor, primam sui sæculi famam in Hebraicis: per votum ex doctrina & usu Reverendus Prior hujus Canobij factus, integerrimam vitam, ac morum opinionem consequutus fuisset: Senior Archiepiscopatu Aquensi a summo Pontifice donatus; Catholicam fidem religiosissimè coluisset; sedemque Apostolicam constantissimè adjuvasset, Chronologia plurimisque libris in lucem editis. Obijt Semuri Mandubrorum, incredibili omnium mœrore, additissimorumque Religiosorum luctu anno Sal. CIO. D. XCVII. Martij XII. fecit annos LXIII. sui amantissimo viro Jacobus Planchot Ad. us stens marenfque elogium hoc P. P. D. D.*

*Quartum ita habet.*

*P. N. Reverendissimi & dignissimi in Christo Patris & Domini Gilberti Genebrardi Archiepiscopi Aquensis &c.*

*Creditur hoc Genebrard, coniectum mœrore? Non est.*

*Sorbone an Decus hoc conderet urna brevis?*

*Quem vix Europa aut Asia tellus capit: hujus*

*Cerula vix cineres Thetios unda tegit.*

*Ergo pro tumulo totus dum est Orbis in uno Anne potest Virtus tanta latere loco?*

*Ad Urbem Semuriorum:*

*Siste gradum: hic Iustus secura morte quiescit*

*Quid Semir? in Christo Vitaque morsque micant.*

*O Te felicem Urbem: olim neglecta iacebas: Ossibus at tanti quàm pretiosa viri es?*

*Hæc pro ipsa simplicitate sæculi, tanto viro, tam sordidè parentantis. Porro quotannis die Depositionis ejusdem 14. Martij qui pro concione ibidem perorat in Quadragesima, totus in laudes viri inelyti effunditur, peractoque sermone, Anniversarius dies obitus solemnè officio ac Missis peragitur.*

*Ne Gallia sola in luctu esset, Hispania quoque Eclypsim passâ, obscurata mœrore haud minimum est magno revera sydere suo ad cœlos raptò, sanctæ memoriæ Sebastiano de Villoslada, viro absolutissimæ perfectionis, qui laboribus pro Dei honore exantlatis optimè meritis, hoc ipso anno, in profecto Purissima Conceptionis B. M. V. unicæ Tutelaræ suæ VII. Decemb. placidissimè in Domino requievit. Fuit sui ipsius contemptor laudatissimus, & cum plurimos oblatos sibi honores sincerissima mente tanquam homo inuicilis diu respuisset, eosque inter Palentinum Pontificatum generosè rejecisset, cavere tamen non potuit, quin vel in vitus postea Canobiorum, plurium curam, & regimen suscipere cogeretur; Prior primùm Canobij S. P. BENEDICTI Vallisoleti; inde Abbas nostræ Dominae de Buesso, mox S. Joannis de Podio, demum S. Martini Madritensis creatus; quo in munere amplissimè, & immortaliter de Ordine nostro meritus, Congregationem Hispanicam, visitator ejusdem Generalis constitutus, sua industria quam scitissimè, ad perfectam, juxta præscriptum Regulæ, normam revocavit. Idem Præco Verbi Divini, summa vi eloquentiæ, elegantia morum, & potentissima exempli efficacia, plurimos à vitiis*

*rum*

*Item aliud eodem loci.*

*Obijt Ven. Sebastiano de Villoslada Montferat.*

*Elogium ejusdem.*

rum situ atque pedore extraxit. Confessiones autem piaculars excipiens, pari felicitate multos, eosque inter Nobilissimos nonnullos mirificè convertit, & ad saniora sanctioraque perduxit. Quæpropter Philippo II. Hispaniarum Regi ejusque forori Maria de Austria Imperatrici, multisque alijs Principibus valde charus fuit, qui dubijs maximè in rebus ejus consilio nitentur, & vix ab ipso avelli se, sive distrahi patiebantur. Claruit multis & in vita & post mortem miraculis, quam, ut plurima alia, spiritu prophætico disertè & distinctè prænuclavit, mox ut vita excesserat, prodigiosa cœlestis odoris fragrantia, non è corpore solum ejus, sed & imagine, sive effigie ejusdem, alicubi asservatâ miraculosè emanante. Vixit annos sexaginta. *Ex libro Inquisitionis super vita & miraculis ejusdem, Regio Gonzalez, Davila, Jeyes, Perez, Vita Mia, Menardo &c.*

prophetia  
Cronaca-  
la claret.

Lepinus  
Abbas Cla-  
ra vallis.

Dionysius  
Baraboa-  
na.

In Gallijs celebrantur ab insigni eruditione Lupinus Clara vallis Abbas vir Religiosissimus, inde ad Carnotensem Cathedram postulatus & Episcopus consecratus, familia de Myrrha; & Claudius Sainctes ibidem Monachus, uterque relictis ingentij momentum immortalis. Quo ipso tempore floruit etiam P. F. Dionysius Barabona, qui Philosophiam in Monasterio Meyra professus, ex unico Cursum suo, ut vocamus, 17. d. scipulo, promovens ad Theologiam, adeo insignes & eruditione & pietate, ut ex iisdem, tres Congregationis Generales, tres item Episcopi, duo Archiepiscopi, duo Abbates perpetui, duo publici SS. Theologiæ in primis Cathedris Salmantica & Compluti Professores, unus qui Regi à Concionibus, unus Calatrava Magnus Prior, reliqui Triennales ex more Abbates eligerentur. Ut ex una Monasterij schola facilè animadvertas, quantum subinde emolumentum & ornamentum toti Regno eveniat. *Manrique, &c.*

Vm. Maria  
de Bellovil-  
lare certa-  
muna.

Eodem anno miri successus Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominae Mariæ nostræ de Bellavillier Montis Martyrum, Abbatissæ, ope præsentis Consolatricis afflictorum, cum sancta Abbatissa, infanda intueri cogereetur in credito sibi Monasterio, nec sciret

quâ ratione tot tantisque malis, unica omnibus, & quidem in pravitate obstinatissimis sese opponeret. Opposuit se ipse, sanctis Abbatissæ conatibus, qui animabus curandis præfectus, ipse ad omnem carnis licentiam, iisdem & auctor & ductor erat, verum ad preces Mariæ nostræ morbo quàm primùm lethali correptus ac desperatus, mirisque portentis vexatus & terribus, donec nocte quadam in somnis Deiparam corona splendida insignem intuitus, mortem, minitantiem, nisi quàm primùm Monasterium à se tot flagitijs contaminatum desereret, manè factò efferrè voluit, munusque resignans, summa in animi contritione vitam abruptit. Maria nostra Cyrum Anglum quendam intaminatissimæ Viræ hominem sibi suisque diligente, qui fidelem deinceps operam eidem in reformatione Monasterij impendit, etsi uterque, ut audiemus, magnas etiam deinceps, priusquam Dei gratia evincerent, perpeffi fuerint difficultates. *Ex Vita ejusdem.*

Ejus hostis  
à Despara  
cedere cogitur.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XCVIII.  
Sancti Patris Benedicti. M. CXVIII

Mortalibus valedicit felici pro magnis meritis assertus immortalitati Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus Joannes noster Saracenus, ex Abbate S. Vedasti Cameracensis Archiepiscopus, Bruxellis religiosissimè extinctus, Regi Catholico charissimus, verus Patriæ Pater, fama post se relicta immortalis, ob studium & operam Catholica Religionis in maxima Belgij parte conservatæ, cui pro meritis, ad S. Vedasti, ubi sepeliri elegit, sequens est positum Epiraphium:

Mortuus  
Joan Sar-  
racenus Ar-  
chiep. Ca-  
meracensis.

*Joannis Saraceni, quod fuit hic jacet; viri planè incomparabilis, qui ab incunte etate hujus Cenobij Monachus, per officiorum illustrium gradus, ad supremum Abbatiale culmen deductus est; quo in munere quinque serè Olympiades, perseverans, toti Artesiæ veluti Tutelare Numen afficit, interitus perduellium Fidei Catholicae ac Regis hostium, à quibus proin in tetrum Atrebatî carcerem conjectus, inde postea eductus, apud Philippum II. pro motibus Artesiæ componendis legatione perfunctus est. Inde redux à Consilij status Catholica Majestatis & Artesiæ factus;*

Ejusdem  
Epiraphium.